





B. 209.





12  
13

AD

MEMORIAM  
AVGVSTI IVSTI

A. D. XXVIII, IVLII, MDCCCI.

HORA VIII. ANTEMERIDIANA

ORATIONE

RECOLENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAVIT

A. F. W. RUDOLPH.

Dir.

---

Part. VIII.

*De iur. ad. v. a. mat.*


*De qualitate scientiæ. II.*

---

Zittav. typis Franckianis.







**Q**ui igitur hæc vitia et hos errores non modo possit euitare, sed in ea cogitatione, qua eum nunc metimur, etiam euitauerit, eum *quinto in gradu* collocandum curabimus; præsertim si communes istas et proprias notas ita inter se comparare et explorare didicerit, vt ex omnibus eas deligat et eruat, a quibus cæterae pendent et aptae sunt. (velut, qui hominem dicat naturam corpore solido et mente ac ratione præditam; aut magistratum maiorem, qui haberet maiora auspicia et in comitis centuriatis crearetur.) Ac huiusmodi perceptiones distinctas seu definitas vocauerim.

In definitionibus autem noua emergunt vocabula, quorum scientia denuo potest per quinque hos gradus diuisa esse et separata. Quamuis igitur infinitus graduum numerus excogitari possit: omissis tamen diuersitatibus haud paucis, in *sexto* quodam gradu eum ponamus, qui nouarum vocularum incidentium non modo vsum teneat, (vt n. 3.) verum etiam definitionem dare legitimam possit, (vt n. 5.) qui, vt exempla allata persequar, explicare possit, quid sit natura, mens, corpus; etc. quæ sint auspicia maiora et comitia centuriata.

Nolui multus esse in commendanda hac ratione, quæ, si vel nihil aliud afferret commodi, vnum tamen præstaret, quod satis magnum est, vt, quam arcto vinculo philologi et philosophi opera coniuncta sit, appareat; quod si satis constaret inter omnes, non modo subtilioris philologiæ studia magis florerent, sed ipsa quoque philosophia sanior et ad intelligentiam accommodatior euaderet. Qui enim *radices* notionum et conceptuum in mente ipsa querunt, in solis radicibus inuestigandis non acquiescerent, sed, vt omnem ortum explicarent, terram quoque, cuius vi hæc radices aluntur, et artem agricolarum declinantium et amputantium, et vicinarum rerum umbram et compressionem respicerent, ac intelligerent, quum verum se *generare* profiterentur;



tur, aliosque philosophos grauissimarum rerum ignorantiae accusant, nihil aliud se generare, quam sermonem inauditum et barbarum, ac nihil aliud accusare; quam suam ipsorum nauseam quum sermonis hominum tum rectae et vsitatae rationis.

Sed hoc nunc non agitur; docendum est potius, definitae et ab ambiguitate remotae scientiae dictionisque studium non modo doctis necessarium esse, sed etiam in scholis parandum. Ac illud quidem paucissimis verbis effici posse videtur; quis enim negabit, docti hominis vim et dignitatem postulare, vt vagam scientiam haud patiatur; vt vocabulorum, quibus vtitur, vim et ambitum teneat; vt non consuetudine coeca ac sola memoria, sed consciae mentis agitatione ea adhibeat; vt voces, quibus certa potestas subiecta non est, aueretur; vt cuiusque enunciationis vim definite assequatur; vt latentem ambiguitatem facile detegat; vt varias notiones digerat, in ordinem redigat, et eo in loco mentis, quem habere quaeque debet, quamque reponat; (quae virtus si abest, in singulis notionibus perspicuitas esse potest, in tota mente non potest) vt in omni dictione et sententia sibi constet, nec verbis suis modo hanc, modo aliam, interdum plane nullam sententiam subiiciat, ac tali modo suam cogitationem et lectoris imperiti mentem turbet et impediatur. Haec igitur omnia nemo facile negauit aut negabit, ac ii quoque concedent, quibus ipsae definitiones parum venustae, aut superfluae, aut adeo noxae videntur.

Nam non desuerunt inter veteres et recentiores, qui definiendi subtilitatem, quae quemque siue conceptum siue vocabuli usum genere et differentia terminare solet, improbant, et omitterent. De *Epicuro* quae legimus, nota sunt; *Lockio*, magno homini, hoc genus definitionis parum placuit, ac nuper vir celeberrimus, quum de ratione religionis differeret, definitionem omittendam putauit, ne eam tamquam pomum quoddam Eridis in doctos homines proiiceret. Sed, quod prudentissimorum omnis aevi hominum tantum non omnium suffragiis comprobatum et sancitum est, id qui in dubi-



um vocat, aut tollere conatur, profecto debet efficacissimis telis et rationibus esse armatus. Iam vero, ex quo Socrates, ut sophistarum hallucinationes tolleret, definitiones generalium notionum aut inuenit, aut frequentauit: non modo Plato omnem disputationem a ratione susceptam a definitione proficisci voluit, sed alii quoque post eum philosophi, et grauissimi quidem, Academici, Peripatetici, Stoici, in definiendis vocabulorum suorum potestatibus elaborarunt; e recentioribus vero nemo fere rationi seueriori se adstrinxit, ac sibi constare voluit, quin sibi etiam diligenter definiendum putaret, ac si vel maxime definitionem scholasticam parum venustam iudicaret, eam tamen, quæ orationis suæ indoli et lectorum vel auditorum intelligentiæ accommodata esset, adhiberet.

Definitionum autem adeo probatarum reprehensiones satis infirmæ mihi quidem videntur. Duo enim video, quæ accusantur: *quod adhibita definitione notio non fiat clarior, et controuersæ molestæ excitentur.* Concedam equidem, generis et differentiæ commemoratione cogitationem claram et euidentem reddi non posse. Concedendum est enim, si quidem clara vocantur, quæ ita vocantur ab iis, qui reprehendunt. Sed iniquum est, rem perutilem propterea contemni, quia non id præstat, quod temere ab ea sperauimus. Haud inutilis fuit filiorum labor in fabula, etsi istum thesaurum quem fodiendo quaerebant, haud inuenirent. Nemo tam ineptus est, vt lucem, per quam apparent, quæ adsunt, propterea contemnat, quod quæ desunt luce haud apparentur. Quaelibet res propter suam vim atque virtutem expetenda est et comparanda. Definitionum virtus autem non in illustranda scientia cernitur, sed in definienda. Definitiones non faciunt, vt singulas res facilius agnoscamus, sed vt res rite cognitæ in mente nostra suo loco reponamus; non vt augeatur et amplificetur humana cognitio, sed vt digeratur, quæ parata est; non vt accipiamus, de quibus dicere possimus, sed vt de iis, quæ accepimus, recte subtiliter definiteque dicamus. Tametsi igitur termino ponendo ager nec acquiritur nec fertilior redditur, terminus tamen ponatur.

Qui



Qui autem definitiones omittendo dissentum aliorum et reprehensiones effugere student, valde errare mihi videntur. Omissa enim definitione non sublata est sententiarum discrepantia, sed multo magis incensa et turbata. Non enunciatio definitionis turbas dat, sed cogitatio, quæ, si vel nusquam in scripto verbis indicata est, tamen dominatur vbique ac reliquas enunciationes non modo regit, sed etiam regere debet. Quodsi ipse auctor cogitationem suam non definiit accurate, sed modo latius accepit vocabulum, modo angustius; modo ad hoc genus retulit rem, de qua egit, modo ad aliud: omnis eius cogitatio et dissertatio vaga est et inutilis et docto homine indigna; sin omisum est disertum indicium, quid illud dicatur de quo disputetur: liber difficilior euadit et ad intelligendum et ad iudicandum. Nam, qui ab alia cogitationis informatione profisciscuntur, nisi id statim ab initio senserint, grauiore dissensu dicta persequuntur, et quæ ita probanda esse vidissent, si auctoris definitio accipiatur, ea omnia profus improbant et damnant. Deinde, qui dissensiones et reprehensiones a definitionibus siue dictis siue mente conceptis repetunt, mihi non id videntur accusare, quod est accusandum. Nam non definiendi studium, sed studium nouandi omnia miscet. Qui sermonis consuetudinem recte perceptam aut secutus est, aut iusta de causa reliquit, ei verendum non est, ne aut peritis displiceat, aut imperitorum litigatione opprimatur. Qui autem adeo imperitus est, vt rectam rationem in his ignoret, aut adeo sibi placet, vt non tanti putet, antequam ipse dicat, quomodo alii dicant, explorare, is merito improbatur et vanitatis arguitur.

Quocirca docto homini scientiæ distinctæ studium maxime necessarium arbitror; cur autem in scholis id comparandum putem, duo potissimum sunt, quæ me moueant; *ad studia academica utiliter prosequenda necessarium est, et in scholis facilius paratur.*

Vt appareat, vere illud dici, monendum est, acroamaticam methodum in academiis non modo vtitatam esse, sed etiam academicis rationibus accommodatissimam. Illud neminem fugit, qui in academia versatus



tus est; sed ne hoc quidem dubium videbitur iis, qui acroamaticæ et Socraticæ methodi rationes et academica negotia considerauerit. Ut enim præteream, quod non prorsus negligendum est, in academiis auditores esse atate prouectiores, quorum alii non facile ad respondendum adduci possent, alii reprehensionibus et refutationibus offenderentur et dolerent, alii sophisticis calumniationibus gauderent, vt eximium doctoris artificium cum singulari grauitate et humanitate coniunctum requireretur ad eiusmodi colloquium sine offensione et inuidia moderandum: vel ex eo, quod Socratica methodus multum temporis absumit, ac certo temporis spatio includi non potest, satis apparet, quam parum sit academicæ institutioni accommodata. Præceptor collocuturus cum discipulis scire non potest, num pensum, quod sibi proposuit, sit absoluturus; tametsi enim peritissimus sit huius rationis, ac adeo acutus, vt nullam interrogationem excidere sibi patiatur, quæ ad rem non pertineat: tamen non pendet a se, sed auditoris subtilitas, respondendi promptitudo aut tarditas in eum dominatur. Huiusmodi vinculo autem doctor academicus teneri ac impediri non debet. Quum enim in academiis docti hominis institutio, quæ voce fit, paucorum annorum spatio absolui debeat: (vid p. 7.) in tanta copia doctrinarum necessario requiritur, vt constituto tempore quæque absoluantur, i. e. vt acroamatica methodo tractetur. Quamuis enim Socratica methodus eximias habeat dotes: acroamatica tamen hoc maxime excellit, quod eodem temporis spatio plura acroamaticæ quam Socraticæ doceri possunt; et quod, quæ docenda sunt, certo et præstito tempore absolui possunt. Hæc igitur methodus, quæ suo iure in academiis obtinet, vt utilis euadat auditoribus, scholarum magistri præparando curare, ideoque definitæ & distinctæ scientiæ studium in discipulis excitare debent et alere. Nam sine hoc studio et probabili in eo facultate discentes acroamatica methodo parum proficiunt. Audiunt, memoria comprehendunt verba et ediscunt, sed nisi mens tali modo subacta et ad cogitationis subtilitatem et perspicuitatem formata sit, aut ea sit ingenii præstantia, vt

uel



uel sine magistro e libris folis profecturi fuissent: non sequuntur cogitando omnem præceptoris orationem, non cogitant cum eo, sed frustra male coherentia ex eius sermone arripiunt, nec ubi sententiam proponat, nec ubi illustret, nec ubi probet satis discernunt et vident.

Deinde in scholis facilius quam in academiis hæc virtus comparatur. Vere hoc dici videmus, siue methodum scholasticam, siue res in scholis tractandas consideremus. Præceptor in scholis, quoad eius fieri potest, cum discipulis colloqui debet, eorum sententiam sciscitari, et quo quidque modo acceperint, explorare; quo in negotio, quam male multa accepta sint, videbit, et quid, et cur male intellexerint, docebit, et ut ad singula diligenter attendant, eaque ad summam disputationis recte referant, curabit; quæ omnia perpetua oratione aut plane non, aut non nisi aegre effici possunt; sunt enim eiusmodi, ut non inferri in mentem, sed ex ipsa mente erui et explicari debeant. Habentur in academiis disputatoria et examinatória, in quibus mens corrigi et ad rectam cogitandi rationem adsuescitur potest; sed haud adeo multi talia curant, aliqui noxia, nonnulli molesta putant; alii inopia, alii pudore arcentur, nec tantum temporis iis tribui potest, quantum ad hanc facultatem requiritur.

Quæ autem studia in scholis propriam quasi sedem habent, in iisque maxime celebrantur, omnia fere ad perspicuam et definitam cognitionem ducunt. Noli persequi singula, de quibus deinceps dicendum; Vnum afferam, studium plurium linguarum. Audiunt discipuli explicationes vocabulorum peregrinarum; vertunt e peregrina lingua in tuam, elaborant igitur in eo, ut non modo eadem sententia in vtraque exprimat, ne plura insint in alterutra ne pauciora, ne plura aut pauciora ex alterutro enunciato concludi possint; sed ut etiam ipse sonus et materia vocabulorum eandem virtutem et vim in animum habeant, pariterque placeant. Itaque ad singula vocabula, ad eorumque nexum attendere debent, et plurium linguarum enunciationes contendere et explorare; unde efficitur, ut quod vul-

gus



gus e coeco quodam sensu et usu accipit, id cum ratione accipiant, rationemque reddere possint. Vertunt e nostro sermone in alium. Quo in genere exercitationis, nisi forte præceptor vocabula suggerat provectionibus, quod non debet: discipuli aut subtiliter vim vocularum et formularum explorare debent et ambiguitates detegere, aut obscurorum virorum latinitem proferre; quæ latinitas scilicet optimam præceptoris occasionem præbet, utriusque sermonis ambiguitates detegendi et illustrandi, ac discipulos, ut hoc in genere elaborant, exhortandi. Omnis denique interpretandi facultas, quæ in scholis colenda est maxime, eodem tendit; efficitque, ut non solum omnium vocabulorum, enunciationum et argumentationum vis et sententia animo concipiatur, sed ut etiam huius rei aliqua & disciplina a diligenti exercitatione et admonitione profecta in mentem se insinuat certum, que recte intelligendi sensum afferat. Ac de qualitate scientiæ hactenus.

Oratio autem, in *AUGUSTI IUSTI Viri illustris* memoriam futura, de *examinum publicorum necessitate* exponet. Itaque *Ordinem Amplissimum, Ministerium plurimum venerandum, Collegas Clarissimos omnesque Scholarum fautores, VI* *Sua præsentia nos ornare velint, obseruantissime rogauit,*

P. P. Dom. VIII. post Trinit. MDCCCI,



cf 4264.8<sup>r</sup>

ULB Halle

3

002 160 943



sb


v. 18

n. C.









Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

AD

ORIAM

TI IVSTI

IVLII, MDCCCI.

NTEMERIDIANA

TIONE

ENDAM

SIME INVITAVIT

W. RUDOLPH.

Dir.

VIII.

d. v. a. mat.

scientia. II.

is Franckianis.

12  
13